



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die XXIV. Maji. In Festo B. Mariä Virginis, Titulo Auxilium
Christianorum**

Paderbornæ, ca. 1790

Die XXIV. Maji. In Festo B. Mariä Virginis, Titulo Auxilium Christianorum.
Duplex Majus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60406)

DIE XXIV. MAJI.

IN FESTO

B. Mariæ Virginis,

TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex Majus.

*Omnia ut in Festo S. Mariæ ad Nives,
præter ea, quæ sequuntur.*

*Si fiat temp. Paschali add. Alleluja Antiph.
Vers. & tres Psalmi dicunt. per singulos Noc-
turnos sub primâ Antiph. cujuslibet Noct.*

Ad Vesperas & Matutinum.

Hymnus.

Sæpe dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adiutrix pia Virgo cælo
Lapsa sereno.

Prisca sic Patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariæ
Cantici lætis modulis referre
Pro novis donis, resonante plausu
Urbis & Orbis.

O! dies felix, memoranda fastis,
Qua Petri Sedes Fidei Magistrum,
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit.

Virgines castæ, puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Regina celebrare cœli

Munera certent.

Virginum Virgo, benedieta Jesu
Mater, hæc auge bona; fac precamur,
Ut Gregem Pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.

Te per æternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent.

Amen.

ψ. Dignare me &c.

Ad Magnificat Antiph. Ecce Maria
erat spes nostra, ad quam confugimus
in auxilium, ut liberaret nos, & venit
in adiutorium nobis.

Oratio.

Omnipotens, & misericors Deus, qui
ad defensionem Populi Christiani in
Bâtissima Virgine Maria perpetuum
Auxilium mirabiliter constituisti: con-
cede propitius; ut tali præsidio muniti
certantes in vita, victoriam de hoste

maligno consequi valeamus in morte.
Per Dominum.

Ad Matut. invitat. Sancta Maria Dei
genitrix virgo, * Intercede pro nobis.
Pf. Venite, exultemus. *Hymnus.* Sæ-
pe dum Christi, &c. *ut in Vesperis.*

In II. Nocturno.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de xij Stellis.

Lectio iv.

Vehementer quidem nobis, dilectis-
simi, vir unus & mulier una nocue-
re: sed gratias Deo, per unum nihilo-
minus virum & mulierem unam om-
nia restaurantur, nec sine magno sceno-
re gratiarum. Et quidem sufficere po-
terat Christus: si quidem & nunc om-
nis sufficientia nostra ex eo est; sed no-
bis bonum non erat, esse hominem so-
lum. Congruum magis, ut adesset
nostræ reparationi sexus uterque. Jam
itaque nec ipsa Mulier benedicta in mu-
lieribus videbitur otiosa: invenietur
equidem locus ejus in hac reconcilia-
tione. Opus est enim mediatore ad
mediatorem Christum; nec alter no-
bis, utilior quam Maria. Crudelis ni-
mium mediatrix Eva, per quam ser-
pens antiquus pestiferum etiam ipsi vi-

ro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis; illa suggestit prævaricationem, hæc ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austereum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam; & si quid forte increpatorium, si quod denique signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis.

℞. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris. ℥. Et sicut cinnamomum & balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus co-

piofiffima charitate debitricem fe fecit. Omnibus misericordiae finum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerfi, captivus redemptionem, æger curationem, triftis confolationem, peccator veniam, juftus gratiam, Angeli lætitiã. Ipfã præterita non difcutit merita, fed omnibus fe fe exorabilem, omnibus clementiffimã præbet, omnium denique neceffitates ampliffimo quodã miferatur affectu. Ipfã eft quondã a Deo promiffã mulier ferpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cujus plane calcaneo in multis verfutiis infidatus eft, fed fine caufa. Sola enim contrivit univerfam hæreticã pravitatẽ. Contriti funt infidiantes, conculcati fupplantatores, confutati derogatores, & beatã eã dicunt omnes generationes. Jam fi Ecclefia Lunæ intelligenda videtur vocabulo, habes mediatricẽ evidenter expreffã; Mulier, inquit, amiãta fole, & luna fub pedibus ejus. Amplectamur Mariæ veftigia & devotiffimã fupplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eã, nec dimittamus, donec benedixerit nobis; potens eft enim.

℞. Quæ eft ifta, quæ proceffit ficut

sol, & formosa tanquam Jerusalem? *
Viderunt eam filia Sion, & beatam
dixerunt & reginae laudaverunt eam.
v. Et sicut dies verni circumdabant eam
flores rosarum, & lilia convallium, Vi-
derunt.

Lectio vj.

Ex publicis monumentis.

Præsentissimum Deiparæ auxilium ad
Religionis hostes profligandos sæpe Po-
pulus Christianus mirum in modum
expertus est: ex quo factum, ut sanc-
tissimus Pontifex Pius Quintus post
insignem victoriam, intercedente bea-
tissima Virgine, a Christianis de Tur-
carum Tyranno apud Echinadas Insu-
las reportatam, in Litaniis Lauretanis
eandem Regnam cælorum, inter alia
præconia, Auxilium Christianorum ap-
pellari constituerit. Sed illud in pri-
mis memorabile est, atque explorati
miraculi loco habendum, quod cum
Romanus Pontifex Pius Septimus,
impiorum consiliis & armis ex Aposto-
lica Petri Sede exturbatus, & arcta
custodia, præsertim Savonæ, per an-
nos quinque, eoque amplius fuisset
detentus, viis omnibus penitus inter-
clusis, ne Dei Ecclesiam regere posset,

nullo similis persecutionis in priscis
annalibus exemplo, inopinato & præ-
ter omnium expectationem contigit,
ut ingenti plausu, ac veluti universi
orbis manibus Pontificio Solio restitu-
eretur. Quod & secundo accidit, dum
iterum commoto turbine, ab Urbe
discendens sacro comitante Cardina-
lium Collegio Liguriam contendit.
Verum præsentissimo Dei beneficio,
cessante procella, quæ grave mina-
batur excidium, Romam, plaudenti-
bus præ novo gaudio Populis, rever-
sus est. Antea tamen, quod in votis
habuerat, & captivitate detentus exe-
qui neq̄ iverat, aurea corona insignem
Savonæ imaginem Deiparæ Virginis
sub titulo Matris Misericordiæ solem-
ni ritu, propriisque manibus decora-
vit. Quam mirabilem rerum vicissitu-
dinem idem Pontifex maximus PIUS
Septimus totius eventus intime con-
sciis cum intercessioni sanctissimæ Dei
Genitricis, cujus potentem opem, &
ipse impense imploraverat, & ab om-
nibus Christi fidelibus implorari cura-
verat, acceptam merito referret, in ejus-
dem Virginis Matris honorem sub ap-
pellatione Auxilii Christianorum so-

lemne festum indixit perpetuo celebrandum die mensis Maji vigesimo quarto, faustissimi sui in Urbem reditus anniversario, approbato etiam officio proprio, ut tanti beneficii distincta, & perennis extet memoria, & gratiarum actio.

R. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum. V. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

In Ill. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii
secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. II. d.

In illo tempore: loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. M. V.

Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium

pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus,
totum vellus prius infudit. Redemp-
turus humanum genus, pretium uni-
versum contulit in Mariam. Altius
ergo intuemini quanto devotionis af-
fectu a nobis eam voluerit honorari,
qui totius boni plenitudinem posuit
in Maria: ut proinde si quid spei in
nobis est, si quid gratiæ, si quid salu-
tis, ab ea noveritis redundare, quæ
ascendit deliciis affluens. Totis ergo
medullis cordium, totis præcordiorum
affectibus & votis omnibus Mariam
hanc veneremur, quia sic est voluntas
ejus, qui totum nos habere voluit per
Mariam. Hæc inquam, voluntas ejus
est, sed pro nobis.

℞. Felix namque es, sacra Virgo
Maria, & omni laude dignissima: *
Quia ex te ortus est sol justitiæ, Chri-
stus Deus noster.

ψ. Ora pro populo, interveni pro
clero, intercede pro devoto femineo
sexu: sentiant omnes tuum juvamen,
quicumque tuum sanctum implorant
Auxilium. Quia ex te.

Lectio viij.

In omnibus siquidem, & per omnia
providens miseris, trepidationem no-

stram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua; Pater enim diligit Filium. Sed forsitan & in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius & exaudiet Filium Pater.

¶. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est & sanctum nomen ejus.

¶. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio ix.

Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio

spei meæ. Quid enim? Potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire; aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum: feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & sola est gratia, qua egemus: nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit invenit, & frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratiæ est quod hic sumus? Profecto misericordiæ Domini est, quod non sumus consumpti nos.

Ad Laudes Hymnus.

Te Redemptoris, Dominique nostri
Dicimus matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus & levamen
Rebus in arctis.

Seviant portæ licet inferorum,
Hostis antiquus fremat, & minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.

Nil truces possunt furia nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo fovet, & superno
Robore firmat.

Tanta si nobis faveat Patrona
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntve turmæ
Mille cohortes.

Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis & acri
Milite tuta.

Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, cœli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Dæmonis ictus.

Te per æternos veneremur annos
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent.
Amen.

Ad Benedictus Antiphona.

Ad te, o sancta Dei Genitrix, cla-
mavimus, & per te venit Domini au-
xilium nobis.

*Ad II. Vesperas, Hymnus. Sæpe
dum Christi, &c. ut in primis Vesp.*

Ad Magnificat Antiphona.

Sancta Maria, succurre miseris, ju-
va pusillanimes, refove fiebiles, ora
pro populo, interveni pro clero, inter-
cede pro devoto femineo sexu: sen-
tiant omnes tuum juvamen, quicumque
sanctum tuum implorant Auxilium.

Hymni aptari possunt cantui: Iste Confes.

Paderbornæ Typis J. Junfermann.

Handwritten text at the top of the page, appearing as bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in the upper middle section of the page.

Main body of handwritten text in the upper half of the page.

Handwritten text in the middle section of the page.

Handwritten text at the bottom of the page.